

*Doc. 22 (Scriptum est eisdem [secretis
Apulie] etc. Volentes lacum nostrum...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 22 (Scriptum est eisdem [secretis
Apulie] etc. Volentes lacum nostrum...)*

1279-12-09

Scriptum est eisdem (secretis Apulie) etc.

Volentes lacum nostrum Lacus pensilis piscibus habundare providimus ut decem millia anguillarum parvarum vivarum in pantanis nostris Versentini et Salparum capi debeant, et in barilis mundis et novis studiose immitti, et ad lacum ipsum deferri et proici ibi, ut multiplicentur in lacu ipso qui ad hoc noscitur esse optum. Ideoque fidelitati vestre precipimus quatenus ad requisitionem Riccardi de Credulis piscionarii fidelis et familiaris nostri anguillas ipsas per piscatores ydoneos et expertos ad hoc deputandos per eum in pantanis ipsis capi et abunde extrahi libere permittatis, exhibentes ei vel nunciis suis quos propterea miserit barilia ipsa necessaria et oportuna pro delatione anguillarum ipsarum, et animalia viginti pro anguillis ipsis deferendis, que barilia emere pretio quo poteris pro parte nostre curie meliori, et animalia conducere iusto et moderato loerio, quod statutum nostre curie non excedit, de pecunia curie nostre nostri officii debeatis. Apodixam de hiis que exhibueritis recepturi. Significaturi celsitudini nostre et magistris rationalibus magne nostre curie quantitatem pecunie, quam solveritis pro pretio ipsorum barilium et loerio dictorum animalium et ad quam rationem particulariter et distincte, ordinaturi cum eodem Riccardo aliquem pro parte nostra, qui una cum eo usque ad predictum lacum Lacuspensulis cum anguillis ipsis debeat se conferre, cui mandetis ut si aliqua de animalibus ipsis affollari contiti gerit, alia animalia condecencia pro hiis anguillis deferendis conducenda per eum de eadem pecunia curie nostro que est vel erit per manus nostras statim debeat exhibere.

Datum Manfridonio die IX decembris (VIII indictionis)
1279.